

8. Sed initium faciendum est à revelata notitia in Evangelio: cui subordinari debet notitia naturalis, & illi cedere, sicubi dissentiat.

9. Revelata notitia dicitur, quæ revelatur per verbum, in quo Deus & se & suam voluntatem patefecit, eamq; patefactionem illustribus testimoniis confirmavit. Joh. I. 18. Matth. XI. 25.

10. Ad hanc patefactionem Deus suam Ecclesiam alligavit.

11. Et singulis temporibus certum aliquod testimonium verbo suo addidit: Ex quo etiam nomen peculiare sibi ipsi tribuit.

12. De Deo igitur aliter sentiendum & loquendum non est, quam sicut se dato verbo revelavit.

13. Vocatur autem in Scriptura sæpe *nomen Dei*, quo significatur notitia Dei in hac vita.

14. Qui etsi definiri non potest, cum sit infinitus; aliquo modo tamen describitur.

15. Deus est essentia spiritualis, intelligens, æterna, verax, bona, justa, sancta, casta, misericors, liberrima, immensæ sapientiæ & potentiæ, alia à mundi corporibus & creaturis omnibus. Nempe Pater æternus, qui ab æterno ex essentia sua filium suum imaginem suam genuit; Et filius imago Patris cœterna ab æterno à Patre genitus: Et Spiritus S. procedens ab æterno à Patre & Filio; Creator & Conservator rerum omnium, colligens sibi Ecclesiam in genere humano per Evangelium, in sui nominis gloriam & credentium salutem.

16. Essentia igitur Dei una est, simplicissima & infinita; revera existens, communis tribus Personis & tota in singulis.

17. Quæ non ut genus, aut species, aut totum prædicatur de Patre, Filio & Spiritu S. sed alio quodam ineffabili & incomprehensibili modo. Vide August. l. 7, de Trin. c. 6.

18. Apud Hebræos vocabulum Jehovah absolutè positum nulli creaturæ tribuitur, sed soli DEO.

19. Quæ prædicantur de essentia Divina, & communia sunt Patri & Filio & Spiritui S., illa dicuntur attributa.

20. Quæ non sunt accidentia, aut qualitates in Deo (in quem nullum cadit accidens) sed sunt ipsa Dei essentia. Unde possunt & solent de Deo etiam prædicari in abstracto: Ut Deus est justitia, veritas, vita.

21. Dicuntur autem multa attributa, non in ipso DEO, & ejus respectu (quia est simplicissimè unus & unum) sed propter distincta
B effecta